

CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA

**1244/07/08. Santa María de Urdilde.**

425

*Dona María Eáns e os seus fillos, todos eles co alcume “Gato”, véndenlle ó seu fillo e irmán, Fernando Pérez “Gato”, catro quintas da metade da vila de Moldes, en S. Xulián de Luaña, por douscentos soldos leoneses.*

B.- Tombo, f. 123rv.

**Carta de Maria Iohannis cum filiis suis Gomecio, Egidio et Johanne Gato per quam dederunt Fernando Gato hereditate de Moldes in filigresia Sancti Juliani.**

In nomine Domini nostri Ihesu Christi, amen. Notum sit omnibus quod ego domna Maria Iohannis et filii mei Gomecius Petri et Egidius Petri et Johannes Petri dictos Gatos et Sancia Petri et omnis uox nostra tibi fratri nostro Fernando Petri dicto Gato omnique uoci uestre facimus cartam donacionis et concessionis imperpetuum ualituram in solidis CC legionensis monete roboratam ita ut damus tibi et firmiter concedimus quatuor quintas medietatis tocus ipsius villaris qui uocatur Molnes quas IIII<sup>OR</sup> quintas habebat pater noster domnus Petrus Muniz, miles, dictus Gato, de ipso uillar; et ipse uillar est in filigresia Sancti Juliani de Loania, et ipsam hereditatem iamdictam habebat eam iamdictus pater noster domnus Petrus Muniz in ipso villare de auio et de ganancia et dederat tibi iam eam. Modo damus eam tibi et firmiter concedimus ita quod habeas eam tu omnique uoci tue imperpetuum possidendam cum omnibus suis directuris intus et extra ad eam pertinentibus, et facias de illa sicut tibi placuerit et tua fuerit uoluntas ab hodie usque in secula cuncta. Siquis igitur ex parte nostra uel extranea contra hanc cartam donacionis et concessionis ad irrumpendum uenerit uel uenerimus quisquis ille fuerit pariat tibi uel uoci tue penam huius carte superius scripta, et carta nichilominus in suo robore permanente.

Ego iamdicta domna Maria et filii mei supradicti et omnis uox nostra in hac carta manibus nostris roboramus.

Facta carta VIII<sup>O</sup> idus julii, era M<sup>a</sup> CC<sup>a</sup> LXXX<sup>a</sup> II<sup>a</sup>.

Q. p. f.: Johannes Petri, // presbiter, dictus Curtes, ts. Johannes Petri, armiger, dictus Tuuius. Petrus Petri dictus Cardinalis de Vilarino. Pelagius Petri, cantor Sancti Iusti. Petrus Martini dictus Sandius. Petrus Didaci Mouro de Jales. Pelagius Aluitiz, monaci Sancti Iusti. Michael Muniz, presbiter, capellanus Sancte Marie de Urdilde. Johannes Martini de Palacios. Petrus Petri, miles, dictus Gatinus. Nuno Iohannis, miles de Ordilde. Johannes Fernandi de Palacios.

Ego Didacus Iohannis, notarius concilii Noye, scripsit de mandato de predictis Johanne Petri et de Michaele Muniz, clericis, in cuius manibus fuit roborata. Domna Maria Iohannis et Gomecius Petri et Johannes Petri et Gil Petri roborauerunt in manibus de Johanne Petri, presbiter, et Sancia Petri roborauit in manibus de Michael Muniz, presbiter.

Ego Johannes Petri, notarius concilii Noye juratus, scripsi quomodo inueni eam notatam in notula qui notauit Didaco Iohannis, notarius qui fuit Noye.